1378

Sit omnibus manifestum. Quod Ego Nicholaus de carnerio civis Barchinone filius venerabilis Raymundi de carnerio quondam civis dicte urbis Attendens hereditatem et bona que fuerunt dicti domini patris mei que michi et venerabilibus Raymundo de carnerio et Guillelmo Raymundi de carnerio fratribus et domine Sibilie sorori meis pertinebant equis porcionibus fuisse divisam inter me et dictos fratres et sororem meos iuxta sentenciam arbitralem inde latam per Reverendum in Christo patrem et dominum dominum Petrum de planella Episcopum Barchinone et venerabilem Bernardum lunes iurisperitum Barchinone arbitros et arbitratores inter me et dictos fratres et sororem meos communiter electos / que sentencia lata fuit Septimadecima die ffebruarii Anno a Nativitate domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Sexto de qua sentencia fuit factum publicum instrumentum per discretum Guillelmum de orta auctoritate Regia notarium publicum Barchinone Attendens etiam quod censuale infrascriptum super quo vos Berengarius de cisa de parrochia beate Marie Calidarum de Monte bovino venistis mecum ad composicionem et avinenciam infrascriptas venit ad partem meam iuxta tenorem sentencie memorate. Considerans etiam qualiter inter me ex una parte et vos dictum Berengarium de cisa ex altera fuit lis seu questio suscitata racione censualis seu censualium infrascriptorum / que quidem questio videbatur satis dubia / tam propter lapsum magni temporis per quod tempus non fuerat receptum quam aliter. Ideo confiteor et recognosco vobis dicto Berengario de cisa licet absenti quod intervenientibus in hiis aliquibus venerabilibus personis venistis mecum ad composicionem transactionem et avinenciam / Super toto illo censuali unius quarterii olei cum dominio et alio iure eiusdem / quod Bernardus de cisa avus vester et domina Blancha eius uxor et Bernardus de cisa filius ipsius Bernardi vendiderunt Petro de carnerio avo meo habendum et percipiendum super possessionibus mansi de cisa cum publico instrumento confecto et clauso per Berengarium de calderiis notarium publicum Calidarum de Monte bovino quondam ebdomedarium ecclesie dicti loci Tercio decimo kalendas Madii anno domini Millesimo Trecentesimo Septimodecimo. Et super toto illo censuali duorum quarteriorum olei cum dominio et alio quocumque iure eiusdem / quod Guillelmus de calidis civis Barchinone vendidit dicto avo meo / quodque dictus Guillelmus de calidis accipiebat recipere per alodium suum et super possessionibus dicti mansi de cisa prout de ipsa vendicione apparet per publicum instrumentum confectum in posse Guillelmi borrelli auctoritate Regia notarii publici Barchinone Tercio decimo kalendas Madii Anno domini Millesimo Trecentesimo vicesimo. Et super toto eo quod michi et predecessoribus meis debebatur de tempore preterito racione solucionum predictorum censualium In hunc videlicet modum quod vos detis et tradatis michi viginti Quinque florenos auri Aragonum et quod Ego faciam vobis donacionem absolucionem diffinicionem et remissionem infrascriptas. Ideo confitens et recognoscens vobis me habuisse et recepisse a vobis dictos viginti Quinque florenos et renuncians excepcioni ad hec excepcioni pecunie non numerate et non solute et doli mali et actioni in factum et omni alii iuri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Gratis et ex certa sciencia per me et meos laudando et approbando predictas transactionem et avinenciam ac composicionem dono absolvo diffinio et remitto vobis dicto Berengario de cisa licet absenti et vestris perpetuo totum predictum censuale Sive censualia Trium quarteriorum olei cum toto dominio firma fatiga et quocumque alio iure eorundem / et cuiuslibet eorum et cum toto eo quod debebatur seu debetur de tempore preterito racione eorundem censualium et cuiuslibet eorum. Hanc autem donacionem absolucionem diffinicionem et remissionem facio vobis dicto Berengario de cisa et vestris perpetuo pure libere et absolute et Sine omni condicione et retencione et Sic melius dici potest et intelligi ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum intellectum. Ita quod racione et occasione predictorum censualium vel alicuius eorum non possitis a me vel meis penitus requiri seu demandari in causam trahi seu in aliquo conveniri. Ego enim facio vobis et vestris super eisdem bonum et perpetuum finem et pactum de non petendo et de non agendo sollempni stipulacione vallatum. Et restituo vobis instrumenta dictarum empcionum / que decetero carere volo viribus et effectu. Reducens vos in possessionem predictorum censualium cum hoc presenti publico instrumento. Et extraho predicta que vobis dono absolvo diffinio et remitto de iure dominio et posse meis meorumque. Eademque omnia et singula in vestrum vestrorumque ius dominium et posse mitto et transfero irrevocabiliter ad habendum et tenendum omnique tempore pacifice possidendum / et ad faciendum inde vestre libitum voluntatis / Sine contradictione et impedimento mei et meorum et alterius cuiuscumque persone. Cedendo et dando vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo / omnia iura / omnesque actiones reales et personales mixtas et alias quascumque que michi competunt et competere possunt et debent in predictis omnibus et singulis que vobis dono absolvo diffinio et remitto / et contra quascumque personas et res racione eorum. Quibus iuribus et actionibus predictis possitis vos et vestri et quos volueritis uti et experiri agendo respondendo excipiendo et replicando et omnia alia faciendo in iudicio et extra iudicium / quecumque et quemadmodum Ego facere poteram ante huiusmodi donacionem absolucionem diffinicionem et remissionem / possem nunc et possem etiam quandocumque. Ego enim facio et constituo vos et vestros in hiis dominos et procuratores in rem vestram propriam / ad faciendum inde vestre libitum voluntatis. Insuper convenio et promitto vobis quod predictas donacionem absolucionem diffinicionem et remissionem et omnia alia et singula supradicta tenebo et observabo imperpetuum / et quod ea non revocabo nec contra predicta vel aliqua de predictis veniam vel faciam / racione vel occasione ingratitudinis / nec ex quacumque alia racione. Renuncians quantum ad hec legi Sive iuri dicenti donacionem posse revocari vel irritam fieri propter ingratitudinem vel aliam quamvis causam et omni alii iuri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum iuro sponte per dominum deum et eius sancta Quatuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta predicta omnia et singula semper rata grata et firma habere tenere et observare et in aliquo non contrafacere vel venire aliquo iure causa vel etiam racione. Hec igitur omnia et singula supradicta facio paciscor et promitto vobis dicto Berengario de cisa licet absenti et vobis etiam notario infrascripto tanquam publice persone pro eo et pro aliis etiam personis quarum interest et intererit recipienti et paciscenti ac etiam legittime stipulanti. Actum est hoc Barchinone Sextadecima die Novembris Anno a Nativitate domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Octavo. Signum Nicholay de carnerio predicti. Qui hec concedo firmo et iuro.

1378

Testes huius rei sunt venerabilis Bernardus malerii Rector ecclesie de Aygualtrude / Guillelmus molarii presbiter / Arnaldus fabatii de villa Terracie et Bartholomeus riera de villa Sabadelli.